

INTRODVCTIO
IN
PROPHETIAM
IOELIS

QVAM
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI

DIE XXIV. OCTOBR. MDCCXXI.
SVBIIICIYNT

PRAESES

CHRISTIANVS FRIDERICVS
BAVER

S. S. THEOL. DOCTOR, EIVSDEMQUE P. P. O.
ET ALVMN. REG. ELECT. EPHORVS

AC
RESPONDENS

IO. IMMANVEL SCHWARTZIVS

LORENTZKIRCHENS. MISN.

WITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

34.

6. III. 77


4

Coll. diss. A
144, 31

Hy. A. 144 (31.)

INTRODUCTIO

PROPHETIAM
IOHANNIS



CVAM

PUBLICO FRATERNITATUM EXAMINE

ACADEMIA WILHELBERTI

DIE XXII OCTOBRE MDCCCLII



CHRISTIANUS FRIEDERICVS


DAVID

PHIL. DOCT. DIVINIT. P. P. O.

ET ALIUM. REG. ALIUM. P. P. O.

JOHANNES SCHWARTZ

INTRODUCTIO



WITTEBEE

FRAT. FRAT. FRAT. FRAT. FRAT.

FRAT. FRAT. FRAT. FRAT. FRAT.

21



CONSPECTVS TOTIVS DISSERTATIONIS

PROOEMIUM

§. I. De necessitate studii exegetici nostris temporibus, respectu ad Ioelem habito.

§. II. De partibus boni exegetae.

INTRODVCTIO IN IOELEM.

§. III. Canonica huius prophetici libri auctoritas demonstratur.

§. IV. Idea historica de tempore Ioelis formatur.

§. V. Eum regnante Iosaphato vixisse, probatur.

§. VI. Tabula chronologica de ultimis Iosaphati temporibus proponitur.

§. VII. Sententia de Ioelis aetate, in vltima Iosaphati tempora incidente, ab exceptionibus vindicatur.

§. VIII. Historia Iosaphati circa illum temporis articulum, ex 2 Chron. XX. proponitur, & cum prophetia Ioelis confertur.

§. IX. Totius prophetiae partitio ob oculos ponitur.

§. X. Versio totius prophetiae, continua serie perlegenda & conferenda additur.

§. XI. Requisita accuratioris versionis

§. XII. Vt & explicationis proponuntur.

A

DE

PROOEMIUM
DE
NECESSITATE ACCURATIORIS
EXPOSITIONIS PROPHECIAE
IOELIS.

§. I.



quem scopum labores exegetici habere debent, illum faxit Deus, ut etiam in hoc schediafmate obtineamus, quo prophetia ioelis feliciter pertractetur, veritas ubiuis ex ea cognoscatur, & efficacia verbi diuini percipiatur! Quam necessarium sit studium exegeticum, ex facie nostrorum temporum colligi potest. Desideratur in plurimis veterum & recentiorum interpretum commentariis, accuratior, & per omnia sibi constans textus originalis expositio. Inveniuntur quidem pro variis partium studiis, uaria etiam interpretamenta. Sed nulli in scriptis humanis, nedum diuinis, ea concedi potest libertas, ut neglecta littera, tandem textum distrahat, atque dilaceret, donec sensus progrediatur, qui praeconceptae hypothese conueniat. Ad uerbum Dei vere ac plene apprehendendum, etiam non sufficit superficialia eruditio, sed opus est accuratiori linguae sanctae cognitione. Assidua enim & studiosa attentio ad propria contextus uerba, excellentiorem tradit explicationem, quam ex vulgaribus doctissimorum interpretum commentariis habebimus, qui amplissimam
qui-

quidem lectionem, & magnum apparatus exegeticum ostensuri, falsa veris, & noxia utilibus miscendo, sensum verborum magis obscurant, quam dilucidant. Hac methodo non possunt oppugnari, qui iam maximas in exegesi dant turbas, & **EX CLERICI & WERTHEIMENSIS** exemplo, se perspicaciores haberi volunt, quam vt secundum litteram veras de Messia praedictiones in prophetis inuenirent. Ea etiam exegetis, qua mens nostra tantum in varia sententiarum diuortia trahitur, non multum proficiet contra Chiliasticos interpretes, qui scriptis prophetis turpissime abutuntur. Sumatur modo exempli loco prophetia Ioelis. **EX CLERICI** consilio, dies effusionis spiritus sancti, non sunt dies Messiae, sed Ioelis. Eo tendit ipsius nota in Act. II, 17. *Interdum ἐσχάται ἡμέραι dies ultimi sunt, non Messiae, sed eorum, qui ita scribebant, hoc est, proxime elapsi, aut breui futuri.* Vulgari interpretationis methodo **CLERICVM & WERTHEIMENSEM** hic oppugnare, idem erit, ac magno conatu nihil agere. Volunt, ut ex solis Ioelis verbis, seiunctim ab allegatione apostolica consideratis, comprobetur, in illum, nec in alium temporis articulum hoc respexisse vaticinium. Quid faciendum est? Adstruendus est genuinus verborum sensus, secundum regulas bonae exegetis, ut rite & accurate, simpliciter & solide Ioel vertatur & exponatur. Tunc determinatum tempus vaticinii ex contextu apparebit. Sic etiam exigantur controuersiae cum chiliastis. Hi Ioelem trahunt ad periodum sabbaticam, diem extremum antecessuram, ibi vberiore spiritus sancti effusionem expectant, quam quae facta sit tempore Apostolorum. Hae nugae non melius refutari possunt, quam secundum indubi-

tatas interpretandi leges & rationes, genuinum sensum, ex verborum proprietate & textus cohaerentia demonstrando. Ex apparente clariori luce illorum dispelluntur tenebrae. Sic prophetiis de Christo, sua vindicatur veritas, ex iis nostra corroboratur fides, nec increduli iustam habent causam conquerendi, quasi nostra prophetiarum expositio nullo certitudinis fundamento nitetur. Non audiendi itaque sunt illi, qui studium exegeticum spernunt, & sine eius ope Theologiam tractare audent. Studium exegeticum est dextera Theologiae manus. Haec bene praeparat & tradit materias theologicas, eiusque opera, verbi Dei in cibum sapidum, aut bene coctum commutati, virtus & veritas eo melius de-
in degustatur.

§ II.

Perspicientibus studii exegetici necessitatem, non ingratae erunt nostrae in Ioelem meditationes, in quibus ut partes boni Exegetae expleamus, tria nobis curae cordique erunt. Ut primo perspicuam introductionem tradamus, deinde inspiciendis fontibus accuratam versionem apponamus, & tandem in subiunctis notis ac observationibus sufficientem rerum explicationem & illustrationem afferamus. Ad perspicuam introductionem opus est, ut explicandus liber biblicus a contemptu obrectatorum vindicetur, & ad dignam verbo diuino estimationem euehatur, deinde ut idea historica de tempore, quo propheta vixit, formetur, & argumentum, connexio, ac partitio totius prophetiae indicetur. Quibus praemissis, ipsa prophetiae interpretatio, duplicem postulat curam, alteram, quae verba spectans, accuratam

tam

tam fontium versionem tradat, alteram, quae rerum circumstantias explicans, unicum ac certum, qui ueritatis est, sensum ex contextu illustret. Vtramque adhibebimus curam, priorem in apponenda fontibus versione genuina, posteriorem in subiungendis textui notis & observationibus. Ad omnem hunc laborem exegeticum accedendum est animo, praeiudicatis opinionibus vacuo, ueritatis amante, ac necessariis ad intelligendum requisitis instructo, ut linguae sanctae, ac necessariae eruditionis peritus, textum originale rite intelligat; ex eo obiectum, de quo sermo est, bene obseruet, uerba propria a figuratis distinguat, a sensu litterali non temere recedat, antecedentia & consequentia notet, distinguenda tempora exinde determinet, nec argumenti ac scopi considerationem negligat, sed omnia ad cohaerentis mentis diuinae analogiam, tanquam ueritatis amantissimam exigat. Eo enim allaborandum est bono interpreti, ut conuenientem cum mente Dei sensum, ex uerbis eius efferat, non uero alienum plane iis affingat. Hae sunt partes in bona exegesi suscipiendae.

INTRODVCTIO IN IOELEM.

§. III.

Ad perspicuam in Ioelem introductionem varia nobis expedienda ueniunt. Primo ut canonica huius prophetici libri auctoritas comprobetur, & vindicetur. Dantur characteres, ex quibus diuina libri inspiratio, & exinde subsequens canonica auctoritas euinci potest.

A 3

potest.

potest. Tales sunt: Si nil, nisi verum, dicit, quod sibi per omnia constat, nihilque repugnans habet, licet reuelet mysteria & vaticinia, quae nulli nudo homini contingere potuerunt: si nos ad veri Dei cognitionem & cultum perducit, & de sanctissima fide nostra sic informat, vt cum doctrina omnium reliquorum prophetarum & apostolorum conueniat: & si talis liber per allegationem Spiritus Sancti, alibi factam, approbetur. Harum notarum inspectio, & attenta Ioelis lectio, nostri libri diuinitatem indicat. Elucet enim exinde diuina Ioelis inspiratio, quia ipse eam a Domino acceptam refert, quam proponit per omnia sibi constantem veritatem. Ea continet mysteria, quae sine diuina reuelatione cognoscere non potuisset. In difficillimo sui temporis articulo, quo Iosaphato, post perpeffas per plures annos infectorum plagas, maxima hostium multitudo occurrebat, quae 2 Chron. XX. describitur, ibi praedicit, si omnes vera ducerentur poenitudine, & ideo vniuersale sanctificaretur ieiunium, tunc Deum praesentes hostes deleturum esse. Hanc Ioelis prophetiam, Iosaphatus, & omnes in regno Iudae pro verbo Dei agnouerunt, ex eiusque consilio, ieiunium, quod 2 Chron. XX. 3-12. commemoratur, promulgatum est. Non est itaque, vt hodie quis Ioelem pro nullo vero propheta habeat, quem tamen sui aeui homines pro tali inuenerunt, & acceperunt. Accedit, quod in altera prophetiae suae parte mysteria dierum Messiae, effusionis Spiritus Sancti, & vltimi excidii Hierosolymitani pandat, quae non nisi ex peculiari Spiritus Sancti inspiratione ac suggestionem praescire poterat. Ea autem praedixisse, quae a nullo homine cognosci potuerunt, & suo tamen

tem-

tempore adimpleta fuerunt, praecipuus est reuelationis diuinitus factae character. Accedit, quod Ioelis uaticinium etiam Petrus in prima, post effusionem Spiritus Sancti, habita concione sic vrgebat, vt eius auctoritate, illo Pentecostes festo, tria millia Iudaeorum ad Christianismum conuerterentur. Quae Petrina allegatio, Act. II, 17. & admirabilis Christianae religionis per Ioelem inita praedictio, vt & multorum millium conuersio, sunt illustres diuini libri notae, ex quibus eius C. I. I. asserta auctoritas satis confirmatur.

§. IV.

Progredimur nunc ad ideam historicam, de temporibus Ioelis formandam. Licet enim multi existiment, nullam esse viam ad aetatem Ioelis cognoscendam, & meras fore coniecturas, quae a nobis proferri possent, credo tamen ex idea historica de circumstantiis temporum, quam ipsa propheta suppeditat, tempus Ioelis cognosci & determinari posse. Haec etiam est ratio, cur tempus, quo Ioel vixit, non statim ab initio prophetae additum fuit, quia sufficiens temporis cognitio ex ipsa propheta hauriri potest. Falsum itaque est, sacras literas ideo in Ioele nullum indicium temporis fecisse, quia parum deberemus esse solliciti circa tales minutias. Accurata temporum coordinatio, non pro inani labore, aut sterili speculatione habenda est, nam ad explicandas prophetias etiam maximum affert adiumentum. Ab exegetis etiam in accuratiori libri biblici expositione, certa temporum ratio obseruanda est. Nam apud quos temporum ratio non cohaeret, apud illos neque veritatis, neque demonstrationis exegeticae ratio constare potest. Nulli itaque uitio nobis, quasi minutias sectaremur, sed

sed

sed potius laudi ducendum erit, si de rite formanda Idea Chronologico-historica temporum Ioelis solliciti sumus. Nam rationes temporum, quibus propheta vixit, iuste initae, & ad historiam biblicam collatae, praecipuum enucleandae prophetiae fundamentum praebent. Quodsi enim e nostro propheta, distincta & explorata ratione cognoscitur, in quem temporis articulum, quoduis signatum ac constitutum sit, nemo lucidiorem desiderabit faciem, quam, quae ab historia & chronologia sacra ipsi praefertur. Ex ea etiam nostra exorta est conuictio, Ioelem temporibus Iosaphati vixisse, & anno Iosaphati circiter XXIV. ab initio belli, 2 Chron. XX. descripti, suam edidisse prophetiam. Per hanc enim rex Iosaphatus, seniores, sacerdotes ac omnis populus commouebantur, ut talem proclamarent publicam humiliationem, quam noster propheta praedicauerat. Ex collatione a Ioele praescripti, & temporibus Iosaphati peracti ieiunii, apparet paritas utriusque ieiunii, ex eoque genuinum tempus comprehendendum est, quo Ioel vixit.

§. V.

Licet multi dubitent Ioelem temporibus Iosaphati vixisse, iisque vaticinatum esse, iustis tamen de causis id non vocandum est in dubium. Extat in 2 Chron. XX. historia, quam cum prophetia Ioelis conferenti, varia se se offerent vnius eiusdemque temporis indicia. Nam iisdem de causis, & eundem in finem a Ioele diuinitus imperatur ieiunium, ex quibus a Iosaphato peractum fuit. Paritas circumstantiarum nullam hac de re admittit dubitationem. Deinde examinentur nostrae, quas ulterius suppeditamus, observationes. N) Ioel non vixit ante Iosa-

Iosa-

Iofapharum, quia tunc nullam *vallis Iofaphati* mentionem facere potuisset, Ioel. IV, 2. (vel III, 7.) IV, 12. (vel III, 17.) Nec etiam diu post tempora Iofaphati ponendus est Ioel, quia 2) ante Amosum vixisse, & ante illum suam edidisse prophetiam satis demonstrari potest. Quas plagas enim, vt antea plane inauditas commemorat Ioel; I, 2-5 easdem refert Amos, vt superioribus temporibus sine emendatione expectata, praeteritas. Praeterea 3) Amos suam prophetiam incipit ea sententia, C. I, 2. qua Ioel suam fere claudit, C. IV, 16. 4) Mentionem facit exustionis terrae per summam siccitatem, quae ad tempora E. saei & Iorami optime quadrant. 5) Imminentem Hierosolymarum oppugnationem sanctificando ieiunio auertendam in nullum tempus commodius referre possumus, quam in vltima tempora Iofaphati. Cur enim intentatam aliam Hierosolymis obsessionem fingamus, quam historia sacra ignorat, cum tamen temporibus Iofaphati competat, eadem hostium descriptio, eadem periculi denuntiatio, eadem ieiunii sanctificatio, eadem promissionum diuinarum adimpletio, quae a Ioele proponitur.

§. VI.

Rationes temporum vt eo melius perspiciantur; apponemus in tabula, ea, quae a morte Achabi, vsque ad finem regni Iofaphati historia sacra refert. Chronologiae enim cohaerentia atque coordinatio ad animos nostros, de veritate historiarum ex ordine & harmonia temporum conuincendos, quam plurimum confert.

B

Mor-

Ab orbe condito	a templo Salomo- nis	Regis Iu- dae Iosa- phati.	Regis I- sraelis A- hasiae.	
3109	116	18	1	Mortuo Achabo Moabitarum deficiunt ab Israelitis 2. Reg. I, 1. & Iosaphato domum reuerso annuntiatur ira Dei 2 Chron. XIX, 1. 2.
3110	117	19	2	Bellum contra Moabitas geritur a Ioramo fratre Ahasiae, a Iosaphato & rege Idumaeorum 2 Reg. III, 5 - 9. In quo bello Israelitae in se concitant iram Dei. v. 27. Hoc anno moritur Ahasia, & Elias uiuus in coelum transfertur. Elifaeus etiam promittit Sunamitidi filium 2 Reg. I, 2 - 17.
3111	118	20	*	Vterque Ioramus, tam frater Ahasiae, quam filius Iosaphati, per biennium fuerunt administratores regni Israelis, fortasse ab relictam mortui Ahasiae uxorem grauidam, hinc dicitur 2 Reg. I, 17. <i>Mortuus est autem iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & rex Ioramus frater eius pro eo, anno secundo Iorami filii Iosaphati regis Iudae, non enim filium nancisceretur</i> כִּי לֹא הָיָה לוֹ בֵּן. Hoc tempore incepit plaga insectorum, de qua Ioel loquitur, quae per plures annos continuauit, & etiam ad septenni- um

Ab orbe condito	a templo Salomo- nis	Regis Iu- dae Iosa- phati	Regis I- sraelis.	
3112	119	21	*	um famis in Israele viam para- uit. Ioel I, 2-4. II, 25. Amos IV, 9.
3113	120	22	Ioram I	Ioram filius Achabi rex in Israele declaratur, postquam vivente Ahasia exercitui Israe- lis contra Moabitas praefue- rat, eoque mortuo per bien- nium vna cum Ioram Iosapha- ti filio in imperio ac potestate administrandi regni Israelis versatus fuerat.
3114	121	23	2	Sunamitidis filius triennis in messe moritur, 2 Reg. IV, 18. quem resuscitat Elisa, eo tempore ingruit fames, v.38. ob cuius septennium suadet Sunamitidi vt ad Philistaeos discedat. 2 Reg. IIX, 1.2.
3115	122	24	3	Ad praeteritas locustarum plagas accedebat summa sicci- citas, & annonae charitas. Ioel. I, 9-13. 19. 20. Nec non ho- stium Iosaphati inuasio, quae describitur 2 Chron. XX. Edo- mitis etiam a Iosaphato defi- cientibus, vt vna cum Moabi- tis & Ammonitis regnum Iu- dae delerent. Contra hos sanctificandum ieiunium Ioel praedicauit, & Iosaphatus im- perauit. Id hunc ergo annum B 2 aetas

Ab orbe condito	a templo Salomo- nis	Regis Iu- dae Iosa- phati	Regis I- sraelis
3116	123	25 Ioramus R. Iudae	4
3117	124	I	5
312	127	4	8

aetas prophetiae Ioelis definienda est.

Regnum Iosaphati pace fru-
itur, 2 Reg. XX, 30. Iosapha-
tus autem Sexagenarius tra-
dit regnum filio suo Ioramo,
qui quidem patre per IV an-
nos adhuc superstite a caede
fratrum suorum sibi temperat,
illo autem mortuo, omnes fra-
tres suos interficit, 2 Chron.
XXI, 1-4.

§. VII.

Vt vero eo magis appareat nostram de Ioelis aetate
sententiam exceptionibus esse potiore, & ad veritatem
accedere, ideo ad sequentes respondebimus obiectiones.
Quaeritur cur in Ioele nulla Israelis, seu decem tri-
buum fiat mentio? Respondemus, quia prophetia Ioe-
lis tantum ad regnum Iosaphati, & ad intentatum vrbi
Hierosolymae excidium pertinebat. Nulla ergo exinde
obiectionis est, quasi Ioel temporibus Iosaphati non potuisset
vixisse, nam in regno Israelis erat propheta Elisa, qui
suo satagebat officio, nec video, cur Ioel Iosaphati tem-
poribus, ad regnum Iudae tantum missus, necessario et-
iam regni Israelitici mentionem facere debuisset. Non
magni itaque est momenti haec obiectio, quasi negle-
cta in Ioele decem tribuum mentio probaret, illum ui-
xisse sub Iosia. Nec firmioris est roboris altera obic-
ctio

ctio de siccitate. Quia siccitas tempore Iosiae fere talis describitur, Ier. XIV, 1-6. qualem in Ioele legimus, ergo Ioel eodem, quo Ieremias uixit tempore. Nonne omnes siccitates, si eueniunt, in allatis a Ieremia circumstantiis conuenire possunt? In hac controuersia non sola siccitas, sed omnia criteria temporum Ioelis coniunctim, non uero diuisim respicienda sunt. Nonne Ioel erat σύγχρονος Elisae, & quidem tempore septennis famis, ubi sicca eos etiam atque etiam presserunt tempora? Vbi tandem id merito urgetur, Ioelem fuisse priorem Amoso. Quas enim Ioel commemorat plagas antea plane inauditas, & iam praesentes, illas Amos etiam commemorat ut plagas superiori tempore factas, sed quibus Iudaei non meliores essent facti, prout in antecedentibus iam fuit dictum, hic autem ad infringendam obiectionem, quasi Ioel etiam temporibus Iosiae assignari posset, repetitur. Nec prophetia Ioelis eam hypothesein patitur, utpote quae diu ante aduentum Babyloniorum, seu hostis septentrionalis edita, Ioel II, 20. & quam nulla traditio in manus hostium, ut Iosiae tempore 2. Reg. XXIII, 26. 27. secuta est. Obiicitur tandem Ioelem non uixisse tempore Elisae ideo, quia dira fames, ibi per septem annos durasset, cum ea fames, de qua agat Ioel, uideatur tantum quatuor fuisse annorum. Sed respondeo: Ioel tantum plurium annorum mentionem facit, per locustas perditorum, sine determinatione ad quatuor annos, deinde conditio famis in regno Israelis potuit esse durior, quam in regno Iudae. Sufficit ex nostra patere chronologia tempora inter se conuenire, & quartum famis Israeliticae annum etiam in tempus a Ioele descriptum, coincidere.

B 3

§. VIII.

§. VIII.

Sed a Chronologia progrediamur ad historiam. Ad eam in hac introductione pernoscendam non poenitebit apponere 2 Chron. XX. caput, quod sequentia momenta historica nobis refert. 1. *Factum vero est, cum venissent Moabitae, Ammonitae, & qui iis se se adiunxerant ex populis, qui ultra Ammonitas habitabant, ad bellum Iosaphato inferendum, ut venirent, qui id Iosaphato annuntiarent, sequentibus verbis: venit contra te ingens hostium multitudo, e locis trans mare sitis, e Syria, & ecce illi iam adsunt Chazezon-Thamare, quae est Engeddi.* In hunc temporis articulum, quo haec regi deferebantur, referri etiam potest consignatio prophetiae Ioelis, quia multorum mentio fit prophetarum, quibus rex ipse credidit, & quibus etiam fides haberi debuit ab incolis Hierosolymae. Accedit & id quod idem aduentus hostium in Ioele describitur, & idem ob oculos ponitur periculum. Ex prophetia Ioelis ergo inferebatur regi, sacerdotibus, ac uniuerso populo formido, ac ingens sollicitudo, de seruanda ab his hostibus salute, de qua nunc in libro Chronicorum sequentia perhibentur. 3. *Cum vero extimesceret Iosaphatus, totum se se ad quaerendum dominum conuertens, per uniuersum regnum Iudae ieiunium promulgabat. Congregabantur itaque, qui erant in Iuda, ad deprecandum dominum, ita ut ex omnibus urbibus Iudae venirent ad quaerendum dominum.* 5. *Tum constitit Iosaphatus in coetu Iudae, & Hierosolymae in Domo Domini ante atrium nouum, dixitque: 6. O Domine, qui es Deus patrum nostrorum, nonne tu es ille Deus qui est in coelis? tu es dominator in omnibus harum gentium regnis, in tuaque manu*

manu est robur & potentia, nec est, qui tecum consistere possit. 7. Nonne tu, o Deus noster, expulisti habitatores huius terrae e conspectu populi tui Israelis, ut daves eam semini dilecti tui Abrami in perpetuum? 8. Quam inhabitantes, aedificavunt tibi in ea sanctuarium, nomini tuo sic dicatum: 9. Vt si quod nobis accideret malum, vel gladius, iudicium, pestis aut fames, nos vero staremus ante hanc aedem in conspectu tuo, quia nomen tuum est in aede, & clamaremus ad te ex angustia nostra, tu exaudire nos & servare velles. 10. Nunc, quaeso, ecce Ammonitae & Moabitae, & qui montem Seir incolunt, quos Israelitis, ut accederent non permisisti, cum exirent ex Aegypto, sed declinarent ab eis, nec eos perderent. 11. Ecce quas illi ipsi contra nos rependunt vices, ut veniant ad nos expellendos ex hereditate tua, quam tu tamen nobis possidendam tradidisti. 12. Nonne tu o Deus noster, iudicium in eos exercebis, quia in nobis nullum est robur, contra tam ingentem multitudinem, quae in nos incurrit. Quod enim nos ipsos attinet, nesciemus, quid faciamus, attamen ad te spectant oculi nostri. 13. omnis vero simul aderat Iuda, qui stabant coram Domino, & quidem eorum etiam paruuli, ac tam uxores eorum, quam liberi. Conferantur modo hae circumstantiae cum prophetia Ioelis, ubi paritas historiae eodem tenore fluit. Ioel I, 6. Dum gens, super terram meam ascendit, quae est robusta, & cui nullus est numerus, cuius dentes sunt dentes leonis, & qui eosdem habet molares, quibus immanis leo utitur, 7. redigit vitem meam in vastitatem, & ficum meam in cremium, decorticando eam decorticans aut euertens, ut rami eius exalbescant. c. II, 2. Populus tam magnus ac tam validus, qualis hic est, non factus est a seculo,

seculo,

seculo, nec post eum amplius fiet, usque ad duarum generationum annos. 15. Quare clangite buccina in Zione, sanctificate ieiunium, proclamare cessationem. 16. Congregate populum, sanctificate coetum, colligite senes, congregate infantes sugentes ubera, exeat sponsus e thalamo suo, & sponsa e conclavi suo. 17. Inter atrium & altare fleant sacerdotes, ministri Iehouae, dicantque: parce, o Iehoua, populo tuo, nec des haereditatem tuam in opprobrium, ut eis imperent gentes, quare dixerint inter gentes, ubi est Deus eorum? 18. Tum aemulabitur Deus pro terra sua, & parcat populo suo. Quod si ex adductis locis paritas circumstantiarum rite examinatur, spero neminem fore, qui non veritatem nostrae exegeos respectu historiae videat.

§. IX.

Facilioris cognitionis gratia, totius prophetiae delineationem ac diuisionem etiam apponemus, ut de eius argumeto, scopo, partibus ac connexione eo melius iudicari possit. Prophetia Ioelis commodissime in duas diuiditur partes, quarum prior respicit praesentia Ioelis tempora, ac quae ex voluntate Dei ibi facienda erant exponit, posterior autem tempora Messiae respicit, & mysterium, cur Hierosolyma in ultimo excidio euerteretur, pandit. Diuisio huius libri per *ספרותיו* in septem sectiones, non est contemnenda, confert enim aliquid, ad perspicendam pertractatarum materiarum distributionem. Ideo obseruamus tres priores sectiones sistere poenitentiam, praesenti Ioelis tempore faciendam, in quarta sectione fieri transgressionem ad subsequutura tempora usque ad aduentum Messiae, posteriores tres sectiones docent, quo-

quomodo post passionem domini & effusionem spiritus sancti, agenda esset poenitentia, si Hierosolyma tunc etiam ultimo eriperetur excidio, quemadmodum tempore Ioelis & Iosaphati sic seruabatur. Parte priori propheta homines sui temporis ad poenitentiam commouere studet, ita, vt:

Sectione, prima attentionem ad praesentium temporum calamitates excitet. Nam

- a) ex voluntate Dei, animaduenterent, ad insolitas & plane inauditas insectorum pagas, v. 1-3.
- β) ad deuastationem vinearum ac hortorum per aduentum hostium crudelissimorum, 4-7.
- γ) ad perentiam messem ac ad summam annonae caritatem ac defectum 8-12.

Sectione secunda ex praesentibus malis necessitas demonstratur, vt omnes vera ducantur poenitudine vbi.

- a) Sacerdotes v. 13. senes ac omnes incolae v. 14. ad sanctificandum solenne ieiunium prouocantur, nam deprecationes essent necessariae
- β) ob durissimam temporum conditionem v. 15 qua 1.) cibi poenuria, 2.) sacrificiorum intermissio, 3.) agrorum ac pascuorum ariditas, ac iumentorum ob flagrantissimum aestum, sitis, omnium oculis pateret

Sectione tertia progreditur a praesentibus malis ad futura, & ex imminentibus periculis de necessitate agenda poenitentiae Iudaeos conuincit, nam prospicerent aduentantes hostes, vbi robur & multitudo

C

a) ho.

α) hostiam, qui Hierosolymam petebant, euertendam, describitur, non vero de locustis sermo est, a Cap. II, 1-9. Horum multitudini opponitur

β) Dei potentia, coram quo sol & Luna atrescerent v. 10.

γ) a v. 11-15. continentur promissiones de auertendo urbis excidio, si diuinae voluntati morem gerentes, non solum scissione vestium sed potius cordium, suam veram ad Deum conuersionem significarent.

Sectione quarta conuincit Iudaeos de necessitate agenda poenitentiae ex utilitate, vbi ostendit.

κ. Quae facienda,

1) vt ieiunium indicatur. C. II, 15.

2) vniuersus populus congregetur, 16.

3) & a sacerdotibus deprecationes fiant 17.

λ. Quae expectanda

1) praesentibus Iosaphati temporibus Deum aemulaturum esse pro terra sua, & populo suo parciturum 18.

2) futuris temporibus. Diu adhuc dilaturum esse Babylonici hostis aduentum, eumque tandem etiam deleturum, vbi, finita captiuitate Babylo-nica Iudaea rursus coleretur, & rebus florentissimis, filiis Sionis Messias, vt doctor ad iustitiam, & spiritus S. vt pluuia, tam tempestiua, quam serua, mitteretur.

μ. Quae grata mente agnoscenda & recolenda essent

1) in praesenti, 24-26.

2) futuro tempore, 27. alias pudefierent.

Parte posteriori Iudaeos Messiae tempore victuros ad

ad poenitentiam commouere studet ipse Deus
Nam

Sectione quinta docet prophetam

2. Quid fieri deberet. Talis poenitentia, qualis tempore Iosaphati peragebatur, etiam fieri deberet,

a) Deo posthaec suum spiritum super omnem carnem effusuro Cap. III. v. 1. 2.

β) datis prius per Christum miraculis plurimis. v. 3. 4.

γ) tempore tempestivo, quo supplicationibus adhuc locus esset, & Hierosolyma ultimo excidio eripi posset. v. 5.

3. Quid vero euenturum esset. Hierosolymitani non sese traderent Messiae, e captiuitate sua liberandos, sed forent persecutores populi eius, i. e. Christianorum, contra quos Messiae, esset exercitus Romanorum ex omnibus gentibus congregandus, & in vallem Iosaphat deducendus, vt ibi iudicium exerceretur.

1) tam de Iudaeis Christianorum persecutoribus v. 1 - 3.

2) quam etiam de Tyriis & Sydoniis, de Christianis pessime meritis v. 4 - 8.

Sectione sexta duo propheta iniungit.

2. Praedicti huius ultimi excidii praedicationem inter gentes;

1) vt hoc bellum sanctificetur & strenue suscipiatur, v. 9 - 11.

2) vt ex diuino Messiae nutu ac iudicio id geri agnoscat, 12.

C 2

3) vt

3) vt extrema malitia Iudaeorum pro caussa eius habeatur. 13.

ב. Temporum illorum obseruationem,

1) quando vindictae tempus ingrueret. 14

2) quando poenitentiae locus daretur, vt Hierosolyma adhuc saluti suae consulere posset, si vellet. v. 15-17.

Sectione Septima opportunissimum tempus poenitentiae, qua vltimum Hierosolymae excidium posset euitari,

א. determinatur, vt obseruandum post effusionem spiritus Sancti, vbi

1) summa foret verbi diuini vbertas, 18.

2) & vindictae diuinae exempla in Edomitis & Aegyptiis Christianorum persecuciones dissuaderent, 19.

3) & Hierosolyma in aeternum conseruari posset. 20.

ב. Deploratur, id iri neglectum, v. 21.

1) perdita sic opera Ioelis, qui hac prophetia ipsos a peccatis sanguinis mundare, ac ad innocuam vitam perducere vellet.

2) perdita etiam opera Messiae, habitaturi Zione, qui etiam Hierosolymam ad curanda ea, quae sibi forent saluti, excitaturus esset.

§. X.

Haec sufficiant ad partitionem & diuisionem totius libri, de quo nunc lubet ipsum textum latine translatum subiungere, vt in continua serie perlegi, & cum praecedente dispositione conferri possit.

VER-

VERSIO IOELIS PROPHETHAE.

Verbum est Domini id, quod factum est ad Ioelem, filium **v. 1**
 Pethuelis. Audite id (*quod huiuscemodi est, ut audiri* **2**
mereatur,) o Seniores, & attendite omnes huius terrae inha-
 bitatores. Num tale quid factum est in diebus vestris? aut
 patrum vestrorum tempore? Quae (*consideranda sunt*) hac **3**
 de re, isthaec enarrate filiis vestris, & filii vestri enarranto i-
 pforum filiis, & filii illorum sequenti generationi: nempe quod **4**
 reliquum fecerat eruca, comedisse locustam, & quod locusta re-
 liquum fecerat, comedisse bruchum, & quod bruchus reli-
 quum fecerat, comedisse Attelabum. Euigilate ebriosi, & flete, **5**
 imo eiulate omnes vinum bibitori propter mustum, quia exci-
 ditur ex ore vestro. Nam dum gens super terram meam ascen- **6**
 dit, robusta, & innumerabilis, cuius dentes sunt dentes leonis,
 ac quos molares immanis leo habet, illi sunt ipsi; redigit vitem **7**
 meam in vastitatem, & ficum meam in cremium, dum decort-
 ticando decorticat eam, aut euertit, vt exalbescant rami eius.
 Plange, vt adolescentula sacco accincta, vicem dolens domini **8**
 iuuentutis suae, succindi offermentum, & libamen, a domo **9**
 domini, vt lugendum sit sacerdotibus, qui tamen ministri sunt
 domini: Sic agros vastari, vt terra lugeat, propterea quod va **10**
 statur frumentum, pudefit mustum, oblanguet oleum. Eru- **11**
 bescite agricolae, eiulate vinitores, ob triticum & ob hordeum,
 quia periit messis agri. Vitis ideo pudefacta est, & ficus oblan- **12**
 guet, malum granatum, vt & palmus & malus, imo omnes
 arbores agri ideo exarescunt, vt pudefiat gaudium a filiis ho-
 minum. Accingite **13**
 vos & plangite sacerdotes, eiulate ministri altaris, venite, per-
 noctate in saccis ministri Dei mei, quoniam prohibetur a domo
 Dei vestri sacrificium cibatorium, & libamen. Sanctificate ie- **14**
 iunium, indicite interdictum, congregate senes, omnes inha-
 bitatores terrae, in domum Dei vestri, & clamate ita ad Do-
 minum: Eheu, prae hoc tempore, nam appropinquat dies do **15**
mini,

16 mini, & sicut vastatio ab omnipotente veniet. Nonne coram
 oculis nostris patet, cibo exciso a domo Dei nostri, abesse laeti-
 17 tiam & gaudium? Euanuisse sparsa semina sub glebis suis, de-
 18 vastari horrea, destrui granaria, vt pudeat frumentum. Quo
 fitis desiderio fertur iumentum, quam perplexa redduntur ar-
 menta boum, eo quod nullum est pascuum illis, etiam greges
 19 ouium, (ob reatum hominum) piaculo fiunt. Ad te domine,
 clamabo, quia ignis consumit pascua deserti, & flamma incen-
 20 dit omnes arbores agri. Etiam iumenta agri, ad te vno quasi
 ore glocitabunt, quia exaruerunt alvei aquarum, & ignis ab-
 CAP. II. 1 sumsit pascua deserti. Clangite
 tuba in Zione, & classicum canite, in monte sanctitatis
 meae, vt contremiscant omnes incolae terrae, quia dies
 2 Domini venit, quia propinquus est. Et quidem dies te-
 nebrarum & caliginis, dies nubis & densiorum tenebrarum,
 qui sicut aurora, super hos montes expandetur, dum populus,
 iam multus & tam potens, quam hic est, nondum factus fuit,
 ab hoc seculo, nec post eum iterum fiet, vsque ad annos primae
 3 & secundae generationis. Ante eum igne deuorante, post eum
 etiam flamma comburente, vel haec terra sit sicut hortus Pa-
 radisi ante eum; post eum tamen vt solitudo deserti fiet, nec
 4 effugium datur ab eo. Sicut conspectus est equorum, sic con-
 5 spicietur hic hostis, & sicut equites (*decet*) sic incurrent. Quo
 strepitu audiuntur currus, eo super cacumina montium salient,
 sicut auditur sonitus flammae ignis, deuorantis stipulam, sic au-
 6 dietur hic populus robustus, instructus ad bellum. Vt etiam
 coram aspectu eius, populis instar parturientium, dolendum;
 7 vt omnibus faciebus luridus ollae color contrahendus sit. Sicut
 heroes, sic incurrent, sicut bellatores sic murum scandent, om-
 nes ac singuli in viis suis incedent, nec descedent a semitis su-
 8 is. Nullus fratrem suum propellet, omnes, vt vir in via sua in-
 cedent, quodsi etiam in delegatos, qui obsistant, incident, nec
 9 illi eos sauciabunt. In urbem ingredientur, in muro current,
 domos conscendent, etiam per fenestras intrabunt, sicut fur.

Aft

Alt ille, a cuius facie cohorrescendum est terrae, contremiscen- 10
 dum coelis, ille coram quo sol & luna tenebescunt, & stellae
 contrahunt splendorem suum, nempe ille ipse Dominus Ieho- 11
 ua ideo edit vocem suam, ante exercitum suum, quia maximus
 foret exercitus suus, quia tam robustus, vt efficere posset ver-
 bum suum, quia dies Domini futurus esset magnus, & valde
 terribilis, & quis eum sustineret? Nunc autem dicente Domi 12
 no: conuertimini ad me omni corde vestro & quidem in ieiu-
 nio, ac fletu, & in plactu; & scindite corda vestra, nec tantum
 vestimenta vestra; & conuertimini etiam ad Dominum Deum 13
 vestrum, nam benignus & misericors ipse est, longaminis &
 multae bonitatis, & quem poenitere potest huius mali; sit 14
 modo qui antelligat hoc: vertet se, vt poeniteat mali, vt re-
 linquat post se benedictionem, offerumentum, & libamen do-
 mino Deo nostro. Canite 15

tuba in Zione, sanctificate ieiunium, indicide interdictum. Con- 16
 gregate populum, accersite sacrum conuentum, conuocate se-
 nes, colligite paruulos & sugentes vbera, egrediatur sponsus e
 cubiculo suo, & sponsa e thalamo suo. Inter porticum & alta- 17
 re plorabunt sacerdotes, ministri domini, & dicent: parce,
 Domine, populo tuo, nec permitte haereditatem tuam in ob-
 probrium dari, vt dominantur eis gentes, nam cur dicerent in
 populis, vbi est Deus eorum? Et tam Zelabitur Deus pro ter- 18
 ra sua, quam etiam parcat populo suo. Nam ideo sic respon- 19
 det dominus, vt dicat populo suo; Ecce, ego sum ille, qui vo-
 bis missurus est frumentum & mustum, & oleum, vt eo sature-
 mini, nec vos amplius in opproprium tradam his gentibus. Et 20
 quod attinet aquilonarem, eum elongabo a vobis eumque tan-
 dem propulsabo in terram siccam, & desertam, faciem eius ad
 mare orientale, & finem eius ad postremum (occidentale) ma-
 re. Ascendente autem putredine eius, eo plus assurget fimi e-
 ius, quo maiora patrauit facinora. Ne timeas igitur, o terra, 21
 exulta, & laetare, quia Dominus etiam magnas res dabit esse-
 ctas. Ne timeatis bestiae agri, nam germinabunt iterum pascua 22
 deserti,

deserti, nam arbores fructus suos ferent, ficus atque vitis dabunt prouentus suos. Et filii Zionis exultate & laetamini, in Domino Deo vestro, nam tradit (se) vobis (vt illum) doctorem (qui est) ad iustitiam, ita vt etiam demittat vobis pluuiam, quae sit loco tempestiuae & serotinae pluuiiae, in primis. Quum vero replentur areae vestrae frumento, & torcularia redundant musto & oleo & ego restituo vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & attelabus, & eruca, exercitus meus quam maximus, quem misi inter vos, & ad satietatem comeditis & saturamini, tunc etiam laudaretis nomen Domini Dei vestri, qui sic vobiscum egit, vt mirabilia fecerit, tunc nec pudefierent, qui populōs meus forent futuro tempore. Quodsi etiam cognosceretis, quando in medio Israelis ego versabor, quod egomet ipse sim Dominus Deus vester, & nullus alius; nec pudefierent,

CAP. III. 1 qui forent populus meus in aeternum. Et

hoc fieri deberet post haec, tempore quo ideo effundam spiritum meum super omnem carnem, vt prophetent filii vestri, & filiae vestrae; quo seniores vestri somnia somniabunt 2 quo iuuenes vestri visiones videbunt; quo etiam super seruos & ancillas, in illis, quae sic se se habebunt, diebus, effundam spiritum meum. Postquam dederō prodigia in coelo & in 3 terra, sanguinem & ignem, & columnas fumi. Postquam hic sol conuersus erit in tenebras, & luna in sanguinem. antequam 4 venit dies Domini, qui magnus erit & terribilis. Tunc fieret, vt quicumque inuocauerit in nomine Domini eriperetur, vt ita in monte Zionis, & Hierosolymis talis futura esset ereptio, qualem Dominus promittit, vt & in reliquis, quos Dominus

CAP. IV. 1 vocaturus est. Sed ecce in

diebus illis sic sese habituris, & in illo tempore, quo reducturus essem captiuitatem Iudae & Hierosolymarum; Tunc mihi congregandae sunt omnes gentes, ac illae mihi deducendae sunt in vallem Iosaphati, vt diiudicet cum eis, ibi de populo meo, & de Israele illo, qui est mea haereditas, quem disperferunt inter gentes, & de terra mea, quam illi diuiserunt. Siquidem etiam super populum meum proiecturi sunt sortem, vt tradant

pue-

puerum pro scorto, & puellam vendant pro vino, vt bibant. Quid 4
vos quoque mihi, Tyre & Sidon, & omnes, qui tractum Palaesti-
nae incolitis? Num haec est retributio? num vos sic contra me
hanc vicem rependetis? quod si vos sic rependetis, facile & cito
meritum vestrum retribuam in caput vestrum. Propterea quod 5
argentum meum & aurum meum accepistis, & desiderabilia mea,
(res meas pretiosas) & quidem optima, intulistis in palatia vestra,
& tamen filios Iudae, & filios Hierosolymarum vendidistis filiis 6
Graecorum, vt procul remoueatis eos a finibus suis. Ecce ego- 7
met ipse sum ille, qui excitaturus est eos ex eodem loco, quo ven-
didistis eos, vt ibi degerent; quo vobis rependam retributionem,
in caput vestrum. Sic enim vendam filios vestros & filias vestras 8
manu (opera) filiorum Iudae, vt illi vendant eos Sabbaeis popu-
lo remoto, quia Dominus dixit. Prae- 9
dicare hoc inter gentes, sanctificate bellum, excitate heroes, vt a-
scendant vt accedant omnes bellatores, Concidite vomeres vestros 10
in gladios, & falces vestras in lanceas, infirmus cogitet (dicat)
ego sum fortis. Prorumpite & venite omnes gentes e circuitu, 11
& congregamini, fac, Domine, vt illuc heroes tui descendant. Sic 12
erit, excitabuntur & ascendent hae gentes in vallem Iosaphati, i-
deo, quia ibi sedebo, ad diiudicandas omnes has gentes in circui-
tu. Immittite falcem, quoniam impletum est torcular, ita, vt re- 13
dundent vasa sub prelo, vt tam magna sit malitia eorum. Mul- 14
tae turbae, multae turbae, (si hae conspicientur) in valle decisio-
nis, in eo erit, vt instet dies Domini in valle decisionis. Sol pri- 15
us & luna atrantur, & stellae retrahunt splendorem suum. Vbi 16
cum Dominus e Zione rugiet, & ex Hierosolyma sic suam edet vo-
cem, vt contremiscant coelum & terra, & tamen Dominus fiet fi-
duciae populo suo, & fortitudo filiis Israelis; tunc vestri es- 17
set, vt agnosceretis, me ipsum Dominum Deum vestrum ha-
bitatorem fuisse in monte sanctitatis meae, tunc vestri esset, vt
Hierosolyma fieret sanctuarium, nec alieni in ea id praeterirent
amplius. Id quod si 18
eo fieret tempore, quo hi montes stillabunt mustum, & hi colles
fluent lacte, & quo omnes riui Iudae manabunt aquis, & quo fons

D

e

19 e domo Domini egredietur, vt irriget vallem Sittim, quo Aegyptus in desolationem redacta erit, & Idumaea in desertum desolaturn propter violentiam in filios Iudae commissam, quorum innocentem sanguinem effuderunt in terra; Iuda etiam in aeternum ibi habitaret, & Hierosolyma a generatione ad generationem. Sed ego purificaturus, ipsorum peccata sanguinis purificare non possum, nec Dominus, habitaturus in Zione.

§. XI.

Restat adhuc, vt ea etiam exponamus momenta, quae ad accuratiorem vertendi & explicandi libri biblici rationem spectant. Cum frustra id legatur, quod non intelligitur, exinde liquet, scripturam legendam in notas etiam linguas sic vertendam esse, vt eius sensus accurate percipiatur. Necessariae itaque sunt bonae versiones, quae veritates diuinas fontibus expressas fideliter reddunt. Obseruatur quidem recte, omnem fere versionem, si modo aliqua cum fide & diligentia facta sit, tantum coelestis doctrinae ac veritatis in se continere, vt idiotae in eam firmissime fidem suam fundare, & ex ea ad salutem se se aedificare possint. Hoc tamen non eo transferendum est, quasi vllae versiones possint aequiparari textui originali, vt eius cognitio susque deque habenda sit, aut quasi accuratior versio non praeferenda sit negligentiori. Licet ex nostris, quas habemus, versionibus, doctrina salutaris hauriri & seruari possit, multum tamen praecipue in libris prophetis superest, nondum satis accurate translatum. Vbi quidem verus verbi diuini sensus non semper in totum, atamen in tantum amittitur, vt eius loco progrediatur obscura, ambigua ac perplexa versio, quae dat verba quidem, sed sine mente diuina, in accuratiori versione elucescente satis perspicue. Quemadmodum omnis rerum commutatio in meliorem statum, si bene ac feliciter eueniat, non vituperanda est, sic etiam accuratior prophetarum translatio & expositio nulli doctori ecclesiae vertenda est vitio. Immane vero discrimen interest, inter accuratam, & inter proteruam versionem.

Pro

Pro vltima habenda est non minus Clerici, quam Wertheimensis versio. Ab vtriusque Sociniana deprauatione abhorrendum est. Accuratiorem autem fontium vsurpationem nostris Aca-
demiis Deus conseruet, vt nulla tyrannis eam nobis eripiat, nulla excoecatorum magistrorum decertatio subuertat, aut studioforum oscitantia, negligentia, fontesque sciendi peruestigandique ignauia deturbet. Ad accuratiorem vero fontium vsurpationem ego refero accuratiorem versionem, quae opponi potest negligentiori fontium translationi. Et omnis Christianus boni amans publici, salua doctrinae integritate, exoptare potest, vt in Academiis excolatur accuratior fontium versio, qua fontes diligentius consuluntur, omnes circumstantiae litterarum, punctorum & accentuum attenduntur, rationes grammaticales examinantur, diuersarum phrasium ac formarum diuersi significatus eruuntur, tempora accuratius distinguuntur, ne praesentia pro futuris, aut futura pro praeteritis, & vice versa commisceantur. Accurata accuretur versio, qua tempora accuratius euoluuntur, connexiones sedulius indicantur, & diuersus verborum ordo, (dum alius est indicatius, alius vero interrogatius) fidelius obseruatur, qua idearum ac conceptuum formatio ad accentuationis normam ac dispositionem dirigitur, & textui originali arcte adhaerendo, excellentior mentis diuinae sensus recluditur. Ad conscribendam eiusmodi accuratam versionem, quae in bono translate, adesse & abesse debent, bene obseruentur. Non expectari potest accurata versio ab eo, qui fontium rationes perpendere nescit, quia expers est genii hebraicae linguae. In ea tot sunt momenta, tot arcana ac mysteria, quot sunt litterae, puncta, ac accentuum figurae, quae nullam, nisi ignorantibus interpretibus molestiam afferunt, qui textus hebraici praestantiam non agnoscunt, & discendi difficultatem timent. Ab his itaque nulla expectari potest accurata versio, qui nulla erga textum hebraicum ducuntur reuerentia, sed verborum, punctorum, accentuumque immutationem exigui fore momenti existimant. Nec audiendi etiam sunt illi, qui talem temporum confusionem linguae hebraeae affingunt, quasi veteres Hebraei

non fat commode & accurate sua diuifissent tempora. Veritas etiam in eo confiftit, vt tempora praefentia, praeterita & futura accurate & ex veritate diftinguantur. Aft quae ftribligo ac obfcuritas hic non obfidet uulgares, quas habemus, verfiones, In difcernenda temporum veritate Hebraeis eft conuenientia nobifcum, licet grammaticalibus in formis, ac formationibus temporum a nobis difcrepent, nec pauciffimae in lingua Hebraica temporum formae, noftrarum multitudini correfpondeant. Tantum abeft, vt in Hebraica lingua nulla fuiffet temporum certitudo, vt potius nunquam praeteritum pro futuro, aut futurum pro praeterito pofuerint, fed femper ex ueritate tempus determinarint. Ad accuratam itaque verfionem opus eft accurata temporum obferuatione, eorumque vera apprehenfione, vt tempus ex forma ac connexione certo determinatum praecife recipiatur, & in verfione etiam congrue exprimatur. Non ferendum itaque eft commentum translatorum, quafi in Hebraica veritate faepius poneretur praeteritum pro futuro, & futurum pro praeterito. Talibus verborum praefigiis non ludetur ille, qui meliorem confert animum ad reconditam linguae Ebraeae indolem, & debito iudicii vigore perfpicit, discretum ibi regnare temporum vsum, ex quo certitudo ac connexio temporum pie apprehendenda eft. Non enim eft interpretum adhibita a fpiritu fancto tempora reformare, fed id etiam linguae Ebraicae exiftimandum eft proprium, vt fibi in fuis temporibus confitet. Negligentior itaque eft verfio, quae immutati temporis argui potest, accuratior vero eft verfio, quae obferuati temporis veritate feffe tuetur. Sic etiam feffe res habet, cum obferuando verborum ordine, qui apprime eft utilis ad verum & cohaerentem textus fenfum inueniendum. Eo ignorato ac neglecto obfcura verborum ambiguitas adest, illo autem perfpecto clara & expedita verfio progreditur. Negligentior itaque eft verfio, vbi nullus habetur refpectus ad ordinem verborum, vtrum fit indicatiuus, an coniunctiuus; in accuratiori autem, etiam ordinis verborum ratio eft habenda. In adornanda quidem noftra verfione his obferuationibus locum dedimus, ita vt in oppositione negligentioris, eam

ac-

accuratiorem nominemus, minime tamen pro perfecta habeamus. Quemadmodum enim nulla est lingua, quae alterius vim totam, seu genium exprimit, atque nativum verborum sensum perfecte referre valet, sic nec tota veritatis Hebraicae linguae amplitudo in versionibus accurate exhauriri potest, quamvis etiam posset inveniri tam Hebraicam, quam Europaeas linguas perfecte callens. Ast cum talis homo non inveniatur, & nostra linguae Hebraicae cognitio sit valde tenuis, nec ei nostrae Europaeorum linguae sic respondeant, ut profundissimum illius sensum penitus exhaurire possimus, ideo textus originalis accuratius discendus est, & ad eum plures versiones expendendae sunt. Absque acri iudicio & diligenti, ac laboriosa ad textum originale attentione, divini sensus non facile possunt reperiri ac diiudicari. Cum autem plus videant oculi, quam oculus, & saepe accidat, ut, quae alter interpret textus momenta neglexit, alter accuratius obseruet, & quae unum latuerunt, alteri pateant, ideo a pluribus accuratiori fontium versionum opera danda est, ut sic eruditus se inuicem corrigendi concedatur facultas. Non ita eorum sumus numero, qui veterum eruditionem explendam, & vetustas versiones nihili faciendas esse contendunt. Sed id tantum asserimus: maioribus nostris accuratior tam linguae Hebraicae, quam accentuationis cognitio defuit, & quocumque earum est peritior, eo felicius in apprehendendo scripturae sensu versabitur. Non excludatur Lutheri versio ex genuinarum numero versionum. Dominetur ea in nostris ecclesiis ac scholis, cuius praelectio per nostras ecclesias, divina benedictione ac usus diuturni consuetudine praemunita est. Verum enim vero ubi versio minus clara & expedita est, ut fontium collatione & explicatione egeat, tunc fontium rationes expendantur, ac cum iudicio & modestia ponderentur, tunc illustrior versio, qua Dei loquentis mentem clarius intelligimus, pro nullo habeatur peccato. Quaecumque enim versio textui originali accurate responderit illa non pro nova habeatur doctrina, quia eadem tantum refert, quae textus originalis dudum & in vetustissimis temporibus docuit. Tuuc potius

tius auctoritatis diuinae, quam humanae, habeatur ratio. Quodsi accuratior versio, est tantum accuratior fontium consideratio, illa non reiicienda est.

§. XII.

Duplex vero est scripturae interpretatio, vna, quae verba spectat, altera, quae res explicat, priori inferuit accuratior versio, de qua egimus; posteriori vberior rerum expositis. Me quidem non fugit, illas interpretationes haberi in pretio, quae amplissimam lectionem, & variam eruditionem ostendunt; sed quia mentes legentium tantum in varia sententiarum diuortia trahunt, & rem magis obscurando, quam dilucidando, scepticismum exegeticum promouent, ideo solidior exegetis adeunda est, vbi ex natura & cohaerentia textus solida rerum explicatio adstruitur. Multi interpretes textum sacrum ventosa ac inani coaceruatione variarum expositionum plane eneruant. Ita enim se se variis versionibus inuoluunt, ita variis interpretationibus se se occupant, ita commentatoribus se se tradunt, vt omissis fontibus sectentur impuros riuulos, tempus fallant, superbum animum recesendis aliorum ineptiis oblectent, & nullas rebus sapienter & apposite conuenientes interpretationes proferant. In exegetis nihil lucramur tali explicatione, quam vt textui alienos sensus induendo & exuendo, nihil agamus. Seponantur potius illi interpretes, qui ob imperfectam vel linguarum, vel rerum ac mysteriorum cognitionem sese verbis textui, vel rei non couenientibus expresserunt. Posthabeantur illi, qui veros de Christo mundi seruatore conceptus, non supponentes, sed abnegantes, prophetias in alienissimos detorquent sensus. Veteres saepe interpretes, neglecta & sublata tandem vera mysteriorum Messiae cognitione, ne quidem vocum adhibitarum expositionem tentant, sed obscuritate tegunt, nedum vt arcana mysteria penetrassent. Necessesse est igitur accuratior rerum expositio, cuius ope intimi religionis & scripturae S. sensus vberius explicando manifestantur.

* * *

Coll. Miss. #

144, 31